

operibus et eleemosynis redditurus est, hodie quoque ad orationem cum operatione venienti benignus auditor est. Sic denique Cornelius centurio cum oraret, meruit audiri: Fuit enim faciens multas eleemosynas in plebem et semper orans Deum. Huic circa horam nonam oranti astitit Angelus, testimonium reddens sui operis et dicens: Corneli, orationes tuae et eleemosynae tuae ascenderunt ad memoriam coram Deo. Cito orationes ad Deum ascendunt, quas ad Deum merita nostri operis imponunt. Sic et Raphaël Angelus Tobiae oranti semper, et semper operanti testis fuit, dicens: Opera Dei revelare et confiteri honorificum est. Nam quando orabas tu et Sarra, ego obtuli memoriam orationis vestrae in conspectum claritatis Dei. Et cum sepelires tu mortuos simpliciter, et quia non es cunctatus exsurgere et derelinquere prandium tuum, sed abisti et condidisti mortuum, missus sum tentare te; et iterum me misit Deus curare te, et Saram nurum tuam. Ego enim sum Raphaël, unus ex septem Angelis justis, qui assistimus et conversamur ante claritatem Dei. Per Esajam quoque Dominus admonet et docet, similia contestans: Solve, inquit, omnem nodum iniquitiae, resolute suffocationes impotentium commerciorum. Dimitte quassatos in requiem, et omnem consignationem injustam dissipata. Frange esurienti panem tuum, et egenos sine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, vesti; et domesticos seminiſ tui non despicies. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, et vestimenta tua cito orientur, et praeibit ante te justitia, et claritas Dei circumdabit te. Tunc exclamabis et Deus exaudiet te, et dum adhuc loqueris, dicet: Ecce adsum. Adesse se repromittit, et audire et protegere se eos dicit, qui iniquitiae nodos de corde solventes, et eleemosynas circa domesticos Dei, secundum ejus pracepta facientes, dum audiunt quod Deus praecepit fieri, ipsi quoque